



3.

3.

3.

3.

3.

3.



14
Pra. 21. num. 7.

~~1777~~ 51
20

PROCANCELLARIVS

D. FRIDERICVS GOTTLIEB ZOLLER

COD. P. P. O. ECCLES. CATHEDR. MERSEB. CAPITVL

CVRIAE IN PROVINCIA SVPREM. ASSESSOR, NEC NON

FACVLT. IVRID. SENIOR ET ACADEM.

DECEMVIR

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES

VIRO AMPLISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

HENRICO GOTTHILF NISSEN


HAMBVRGENSI

DIE IX. OCTOBR. MDCCLXXVII

CONFERENDOS

INDICIT

De vsuris rei iudicatae.



PROVINCIALE

D. THEODORICUS GOTTLIEB NISSEN

JOHANNES GOTTLIEB NISSEN

LEIPZIG

1784

STRECKENHAGEN

LEIPZIG

HENRICO GOTTLIEB NISSEN

LEIPZIG

LEIPZIG

LEIPZIG

LEIPZIG

De Spitz bei Leipzig





Usuræ, quæ accessiones fortis recte dicuntur, creditor a debitore vel ex pacto, quod legem dat contractui, vel ex mora exigit, et quidem iure hodierno cessante penitus discrimine inter negotia stricti iuris, et bonæ fidei; priorè compensatorias, posteriores verò punitorias vocamus. Modus seu quantitas usurarum vulgariùm et communium ad Iustiniani usque tempora erat centesima, eaque legitima dicebatur. Ait enim Imperator *l. 8. C. Si certum petatur: si pro mutua pecunia, quam a creditore postcebas, argentum vel iumenta, vel alias species, utriusque consensu aestimatas accepisti, dato auro pignori, licet ultra usuram centesimam usuras stipulanti spondidisti, tamen sors, quæ aestimatione placito partium definita est, et usurarum titulo legitima summa tantum recte petitur*: hanc ob causam quoties legitimarum usurarum in legibus mentio fit, de centesimis hanc locutionem intelligimus *l. 1. §. 3. π. de pignoribus l. 1. C. de usur. pupill. l. 3. C. arbitr. tutel.* Eandem quantitatem Iustinianus novâ constitutione usuris quoque

rei iudicatae attribuere non dubitavit. Confirmat hoc *l. 2. C. de usur. rei iudicatae*. Eos, qui condemnati solutionem pecuniarum, quas dependere iussi sunt, ultra quatuor menses a die condemnationis, vel si prouocatio fuerit porrecta, a die confirmationis sententiae connumerandos distulerini: centesimas usuras exigi praecipimus: Decisa equidem quoad hunc passum sententia videtur ex voluntate legislatoris, nihilominus tamen adhuc mouent dubium ICTi, vtrum haec usura tantum de nuda sorte, vel etiam de usuris in condemnationem deductis sit intelligenda. Illi qui constitutionem Imperatoris ad sortem restringunt, et quod intuitu usurarum creditori hoc beneficium profit, constanter negant, probationem partim ex natura rei et analogia iuris, partim ab expressa legis dispositione deducere malunt. Constat nempe, vti in antecedentibus dixi, usuras esse accessiones sortis, quam ob causam etiam fructuum nomine in legibus veniunt, ait enim *Ulpianus l. 34. ff. de usur. Usurae vicem fructuum obtinent, et merito non debent a fructibus separari, et ita in legatis et fideicommissis, et in tutelae actione et in caeteris iudiciis bonae fidei seruatur. Hoc idem in caeteris conuentionibus dicimus*. Non itaque dici possunt usurae, nisi fors, vel res, ex qua percipere possumus fructus, extet. Non entis enim nullae dantur affectiones nec dispositiones; quae, si vera sunt, vti nemo facile in dubium vocabit, liquido constat, deficiente causa principali, penitus cessare obligationem, quae necessitatem exsoluendi usuras inuoluit. Cui accedit, quod usurae usurarum exactio non valeat, sed legibus penitus sit interdicta, nullo obseruato discrimine, vtrum fuerint in sortem redactae, nec ne. Cum etenim dubia erat haec quaestio, Imperator Iustinianus *l. ultim. C. de usur.* sua decisione certam effecit sententiam, et foeneratoribus occasionem saeuitiam erga debitores exercendi ademit, *vt enim dicit*

cit nullo modo usurae usurarum a debitoribus exigantur, et
 veteribus quidem legibus constitutum fuerat, sed non perfectissime
 cautum. Si enim usuras in sortem redigere fuerat concessum et
 totius summae usuras stipulari, quae differentia erat debitoribus
 a quibus reuera usurarum usurae exigebantur, hoc certe erat non
 rebus, sed verbis tantummodo legem ponere: Quapropter hac
 apertissima lege definimus, nullo modo licere cuiquam usuras prae-
 teriti temporis, vel futuri in sortem redigere, et earum usuras
 stipulari. Sed si hoc fuerit subsequutum, usuras quidem semper
 usuras manere, et nullum usurarum aliarum incrementum sentire,
 sorti autem antiquae tantum incrementum usurarum accedere.
 conf. l. 26. §. 1. π. de condit. indeb. Et quamvis mihi non-
 dum satis constet, utrum creditor, quem debitor sua mo-
 ra impedit, quominus usuras rursus elocare et emolumentum
 ex noua quadam sorte percipere queat, impietatis
 notam incurrat, si usuras usurarum petat, nihilominus ta-
 men, cum sententia in praxi recepta et legum auctoritate sit
 munita, ab eadem recedere non licet. conf. Carpzov P, II.
 Const. XXX. def. 29. Illustr. Hommel. Obs. XLIX. Quod si
 igitur creditor ab usuris, in quarum praestationem senten-
 tia, quae vires rei iudicate consequuta est, condemnat de-
 bitorem, rursus usuras exigit, et ut earum quantitatem reus
 soluat, postulat, petit usuras usurarum, quae exactio cum
 haud valeat, utique applausum promereri videtur decisio,
 usurarum praestationem ex re iudicata tantum ad Sortem
 esse restringendam, minime vero ad usuras extendendam, ea-
 rum etenim, quae legibus sunt prohibitae, nulla valet petitio.
 Maximum, quod hac sententiam defendit praesidium extat
 l. 3. pr. Cod. de usur. rei iudicat. Sancimus, si quis condemnatus
 fuerit, post datas a nobis quadrimestres inducias, centesimas
 quidem usurae secundum naturam iudicati eum compelli solvere,
 sed tantummodo sortis, et non usurarum, quae ex pristino con-

tractu in condemnationem deductae sunt. Cum enim jam constitimus usurarum usuras, penitus esse delendas, nullum casum relinquimus, ex quo huiusmodi machinatio possit induci, et paulo post ait Imperator: *Et ideo pio remedio causam corrigentes, sancimus, sortis tantummodo usuras usque ad centesimam currentes ex iudicati actione profligari, non autem usurarum quantascumque usuras.* addita ratione: *Si enim nouatur iudicati actione, prior contractus, necesse est, usurarum quidem quae anterioris contractus sunt, cursum post sententiam inhiberi; alias autem usuras ex iudicati actione tantummodo sortis procedere, et non ideo, quod forsitan consummata est quantitas sortis et usurarum, totius summae usuras postea colligi, sed sortis tantummodo.* Cessare ex hac decisione omne videtur dubium, quod circa usuras rei iudicatae poterat moueri, cum Imperator Iustinianus dispositionem, quam *lege 28. C. de usur.* dedit, nempe quod usurae usurarum a debitoribus nequeant exigi expresse confirmauerit. Haec sunt, quae illis, qui negatiuam amplectuntur sententiam patrocinium praestant, videamus nunc, quae argumenta in contrarium proferri possint. Antequam vero de his agamus, necesse erit, vt, quaedam circa legem tertiam *C. de usur. rei iudicatae*, haec enim nobis maximopere obstat, proferamus. Respicendum praecipuum est utrum haec constitutio ex mente Iustiniani regulam generalem efficiat, vel tantum specialem casum praesupponat. Posterius, dummodo regulas, quae circa interpretationem sunt necessariae, obseruare velimus, adfirmare fas erit. Agit nempe Imperator de centesimis usuris, quarum praestationem secundum naturam iudicati, creditor a debitore iure, exigebat. Interpretatur haec constitutio legem praecedentem secundam, in qua iniquitas iure antiquo, quae obtinebat, correctionem patitur. Priscis etenim legibus, debitor, qui condemnatus solutionem

tionem pecuniarum vltra quatuor menses a die condemnationis, vel si prouocatio erat porrecta a die confirmationis sententiae connumerandos differebat, duas centesimas praestare cogebatur. Hanc sententiam, quia iniquitatis notam incurrebat, duplicem enim poenam animaduvertebat debitor, quod leges haud concedunt, corrigebat Iustinianus, et leges hanc dispositionem statuentes penitus tollebat. Ne vero creditori detur occasio in fraudem legis peccare, et via obliqua consequi, quod directo obtinere non poterat, Imperator lege subsequente tertia, centesimas vsuras tantummodo ad sortem restringebat, et quod hoc beneficium creditori concessum, ad vsuras, quae ex pristino contractu in condemnationem deductae erant, non fit extendendum, declarabat. Dum igitur legislator in lege tertia, vsurarum centesimarum tantum faciat mentionem, et ex mente dicentis a casu speciali nunquam valeat regula generalis, quod enim contra rationem juris receptum, *l. 14. ff. de legib.* non est producendum ad consequentias, merito negamus, hanc dispositionem ad casum, quando vsurae, quas creditor ex mora debitoris petit, hanc quantitatem non attingunt, esse extendendam. Nec obstat quod in lege citata Imperator ratione generali, nempe vsuras vsurarum penitus esse delendas vtatur. Ratio etenim haec tantum valet in casu, si ex conuentione debeantur vsurae, et creditor qui vsuras in sortem redigit, ab vsuris sibi rursus vsuras stipulatur, non vero si vsurae ex mora debitoris petuntur. Probationem hujus asserti suppeditat ipse Iustinianus, qui lege tertia, dum rationem eam profert, ad constitutionem legis vicesimae octauae. *C. de vsur. prouocat.* Hanc legem, si paulo penitius considerare volueris, vltro tibi profitendum erit, Iustinianum solummodo de vsuris promissis egisse, et eatenus principium

cipium, quod vsurae vsurarum a debitoribus non possint exigui, agnouisse: Dum enim Imperator huius principii, circa quod diuersae obueniebant disceptationes, adpirationem definit, vtitur verbis. *Quapropter hac apertissima lege definimus, nullo modo licere cuiquam vsuras praeteriti temporis, vel futuri in sortem redigere, et earum iterum vsuras stipulari:* vocabulum stipulari, quod reperitur in lege satis abunde demonstrat, legislatoris intentionem tantum eam fuisse, ne valeat anatocismus, quem creditor committit, qui vsuras in sortem redigit, et ab iisdem a debitore rursus vsuras exigit. Cum vero maxima sit differentia inter vsuras, quae ex pacto, et eas, quae ex mora debentur, ratio quae in priori casu vsurarum vsuras prohibet, ad casum posteriorem qui moram debitoris praesupponit et creditorem ab omni iniquitate liberat, minime quadrat, quod eo maiorem promeretur applausum, cum omni dubio careat regula, ab uno nempe casu singulari ad alterum non valere adplicationem. Remota lege 3, *C. de vsur. rei iudicatae.* deueniamus ad argumenta, quae nostram sententiam, quod etiam ex re iudicata ab vsuris vsurae queant peti, defendunt. In eo ferme omnes conueniunt, quod nouatione intercedente nulla committatur vsuraria prauitas, quando vsurae in separatam rediguntur sortem, et ab eadem creditor sibi vsuras stipulatur. Quod non solum in casu quando contingit mutatio ex persona debitoris, sed etiam creditoris locum habet, quapropter fidejussor, qui vsuras sortis, in cuius, securitatem fidem interposuit, creditori soluit, earum vsuras a debitore jure repetit. *conf. Hering. de fidejussor. cap. 26. n. 83. sequ. Maevius P. VIII. Decis, CCXXXII. num. 6. et 7.* Nec deficiunt hac in parte leges, lege enim 60. *eff. pro Socii* ait ICTus; *Socium qui in eo, quod ex societate lucri faceret, reddendo moram adhibuit, cum ea pecunia ipse usus fuerit, vsuras quoque*

quoque eum praestare debere Labeo ait, sed non quasi usuras, sed quod socii intersit, eum moram non adhibuisse. Ratio, cur socius ex lucro quod in societate percepit, nec socii partem dedit, sed illam retinuit, ad usuras soluendas tenetur, in eo consistit, quoniam nouatio intercessit, lucrum enim quod iniusto modo retinuit, et socium hac ratione ab eius perceptione excludit, efficit sortem, de qua usuras creditor, simulac debitor in mora versatur, recte petit, hac ex causa etiam Pomponius qui est auctor huius legis asserit, socium eas praestare, non quasi usuras, sed quod socii intersit moram reum non adhibuisse. Ex eadem ratione quoque secundum effatum Pauli I. 35. ff. de usur. lite contestata usurae currunt. Quod si itaque debitor, quem creditor ob denegatam solutionem sortis conuenit, ad restitutionem sortis et praestationem usurarum per sententiam iudicis condemnatur, simul ac haec sententia vires rei iudicatae nata fuerit, usurae desinunt esse usurae, et separatam potius efficiunt sortem, hinc quod intuitu huius sortis ex mora debitoris actor petit, debitor soluere tenetur, non quasi usuras, sed quod actoris interfuit, reum moram non adhibuisse. Res enim iudicata efficit nouationem, qua intercedente mutatur causa, et ex decreto iudicis noua constituitur fors, cuius usuras creditor nullo intercedente pacto ex legis dispositione ob moram debitoris recte exigit. Nec in conueniens est argumentum, quod a fructibus deducimus. Optime distinguunt leges inter bonae et malae fidei possessorem, illi nempe, quoniam bona fides bonae fidei possessori idem praestat, ac veritas vero domino, omnes adiudicant fructus, hunc vero non solum ad restitutionem perceptorum, sed quoque percipiendorum fructuum obligant quod probat l. 22. C. de rei vindicat: Certum est, malae fidei possessores omnes fructus solere cum ipsa re praestare

Carpz. P. II. Const. XXXII. def. 30. Imo talis possessor ad vsuras fructuum quoque a die litis motae tenetur. conf. *Berger. Oecon. Iur. lib. II. Tit. II. th. XXXIV. not. 8.* Cum itaque vsurae sint fructus, lege enim 34. ff. de vsur. vicem fructuum obtinent, et debitor, qui post litem contestatam in mora restituendi vsuras versatur, in mala fide fit constitutus, lite enim contestata is, quem antea bona fides defendit, malae fidei notam incurrit, nulla datur ratio, cur vsurae vsurarum ab illo exigi nequeant, non enim proprie id quod praestat, dicitur vsura vsurarum, sed vsura fructuum, nam simulac vsura ex sententia, fors fit, non amplius est accessio, non superest enim cui accedat, sed in posterum non soluti iusta est vsura *Maeu. P. IV. Dec. CLIV. not. 7.* hinc iudicium quod teste Bergero de malae fidei possessore fertur ad illum quadrat. Vltimum argumentum quod circa confirmandam sententiam adhibemus, respicit interesse damni emergentis quod, a quolibet, cuius culpa vel mora obuertatur, peti potest. Quotiescunque vero de eo est quaestio ad nullam respicimus quantitatem, sed non solum interesse primum, secundum, et vterius, sed etiam interresse alterius interesse tam prima quam secunda vice, et aliis futuris vicibus exigere licet. conf. *Cagnol. ad legem vnic. n. 46. C. de sentent. quae pro eo quod interest. Iacob. Menoch. de arbitr. iud. lib. 2. cent. 2. cas. 119. n. 17. sequ.* nec ratione destituta est haec opinio, vbi enim restituendi sunt fructus, veniunt etiam fructus fructuum, hinc perens aliquid cum omni causa, dicitur etiam perere partus, partuum, et fructus fructuum, qui non veniunt sub simplici appellatione fructuum; cui accedit, quod vbi dubitatur de intellectu legis, recurrendum est ad rationem naturalem, jure naturali vero deberi interesse nullam excitat debitationem, debetur vero propter

propter culpam et moram debitoris, et culpa debitoris non magis potest considerari in primo interesse capitalis, quam in interesse alterius interesse. Creditor qui mora debitoris impeditur, quo minus vsuras ex sorte, quae debentur, rursus elocare, et sortem nouam constituere possit, utique sentit damnum, boni enim patris familias est officium, ut vsuras quas quotannis accipit, in sortem convertat, nec auaritiae notam incurrit, is, qui ut conseruet patrimonium, illud quae augeat, licitus vitur mediis. Quod si igitur terminus vsurarum tibi videatur odiosus, regicias penitus illum et ad iudices creditori, quod ex vsuris petit, tanquam interesse damni emergentis, cuius probatio haud est necessaria, cum praesumptio boni patris familias, qui de conseruanda et augenda substantia, quatenus nulla iniquitas concurrat, sollicitus esse debet, eidem assistat. Iniquitatem vero penitus cessare, ex eo apparet, quoniam debitor, qui solutionem iniusto modo differt, in mala fide versatur, et creditorem in exercendo iure perfecto impedit. Sed finienda est haec disceptatio, deueniendum nunc est ad id, cuius causa haec conseripimus. Indicandus nempe est sollemnis dies quo Ordo noster

V I R O

AMPLISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

HENRICO GOTTHIFF NISSEN

HAMBVRGENS.

Summos in vtroque iure honores conferendos decreuit;
de Vita sua, quae ad me scripsit, communicabo

B 2

Natus

Natus sum Hamburgi, seculi, quo vivimus, LIII. patrem nactus sum IOANNEM GVSTAVVM NISSEIVM, matrem ANNAM LVCIAM, ex gente WAHNTIA, quos tamen parentes, mihi longe charissimos, summo meo dolore et luctu mihi iam eripuit mors dura. Pater quidem me eduxit, iisque doctrinis, quibus iuuenilis aetas imbui solet, imbuendum curavit; nec tamen me musis ac litteris sacrum; sed mercaturae et negociationi, cui ipse instabat, destinatum esse voluit. Quam ob rem iis etiam artibus, quae negociationi inserviebant, erudiri coepi. Sed nescio, quo fato musarum deliciis abreptus et fascinat, animum ad litteras adpulerim. Cui quidem instinctui, haud facile reprimendo, pater ipse, cuius semper in me erat lenitas, indulgit. Itaque ipse auctor, suavorque exstitit, ut primis litterarum elementis GRVNERO duce ac monitore instructus, A. C. MDCCCLXX. in numerum eorum reciperer, qui in gymnasio Hamburgensi litteris humanioribus imbuuntur, ut ad sublimiores scholas rite praepararentur. Atque hic quidem contingere mihi praeceptores: BÜSCHTIVS, WYNDERLICHIVS, NOELTINGIVS, SCHÜTZIVS, quorum institutione per quadriennium usus, id quod gratissimo animo semper recolam. Tum Lipsiam A. C. MDCCCLXXIV petii, et Rectore Magnifico AVGVSTO GVILIELMO ERNESTIO in numerum civium academicorum receptus sum. Iam quidem prima mihi cura fuit, ut animum

mum *philosophicis* atque *mathematicis* disciplinis subigerem, et vehementer laetor, quod ERNESTIVM, PLATNERVM et GEHLERVM, harum rerum magistros, adire mihi contigerit: quemadmodum eiusdem PLATNERI praelectionibus super *oeconomia corporis humani* et *medicina legali* magnum cum fructu interfui; quibus tanquam delicias dapesque superaddidi *historiam poetarum litterariam* duce CLODIO. At vero inprimis gaudeo, quod Venerabilem Senem ERNESTIVM adhuc audire, et *antiquitates Romanas* atque *historiam uniuersalem* ex ore Eius haurire mihi datum sit. Iam propius ad Themidos sacra accessurus, in addiscendis *iuris naturalis* praeceptis, in *historia iuris*, *institutionum* ac *pandectarum* sanctionibus, *regulisque ad leges interpretandas*, *relationesque actorum* pertinentibus, cognoscendis praeceptore vsus sum EINERTO; SCHOTTIVM autem veneror ducentem atque auspicem, non solum in emetiendo *iuris Germanici privati*, *canonici* et *criminalis* itinere, sed etiam in iterato *pandectarum* studio; quemadmodum *processus iudicarii*, *iuris feudalis*, *artis que referendi* notitiam ZOLLERO, BAVERO, ac SEGERO acceptam refero. Tandem in *historia statuum Europae* tum BOEHMIVS, tum WENKIVS facem mihi praetulerunt. *Historiam vero imperii Romano-Germanici*, eiusque *ius publicum*, nec non *artem diplomaticam Germanicam* ex praelectionibus Eiusdem WENKII perdidici. Quibus equidem praeceptoribus meis, omni mea laude maioribus,

non possum non gratias agere summas, neque vnquam beneficia ab ipsis in me collata ex animo meo effluent; Ipsisque, quemadmodum omnibus Patronis meis et inprimis prouidentiae diuinae me commendo.

Peracto cursu academico antequam ad honores peritos adspirare queat, in examinibus cum eodem habitis Ordini nostro ita satisfecit, vt ex omnium voto praepressim dignus iudicetur, qui Doctor vtriusque iuris publice renunciatur. Quam ob rem ex decreto Ordinis die VIII. Octobris hora pomeridiana II. publicam lectionem in auditorio ICtorum *super leg. 27. C. de inoff. test.* habebit, sequente vero die IX. disputationem inauguralem *de acquirendo vel amittendo iure ciuitatis Hamburgensis* Praefide Viro Illustri, summe Reuerendo, Magnifico D. CAROLO FERDINANDO HOMMELIO, Domino Hereditario in Zweynaundorf, Groschepe et Quesitz, Ecclesiae Cathedralis Merseburgensis Capitulari, Serenissimi Electoris Saxonici in rebus iustitiae Consiliar. Actual. Supremae in Prouincia Curiae Assess. Decretalium Professore Publico, Ordinario et Decano perpetuo, Academiae Lipsiensis Decemuiro, Academiae Scientiarum Electoralis Bauaricae, plurimumque huiusmodi societatum Collega honorario, Viro, quem merita immortalem efficiunt, defendet. Quo facto Vir Illustris atque Excellentissimus FRIDERICVS HENRICVS MYLIVS, Iuris vtriusque Doctor, Collegii ICtorum Assessor, Collega amantissimus, cui clementissime constitutus Procancellarius Promotoris munus delegaui, summos in vtroque iure honores et priuilegia, excepta solummodo spe, ad Ordinem nostrum adspirandi Candidato optime merito rite conferet,

Quem

Quem actum, vt Rector Academiae Magnificus, Illustrissimi Comites, Proceres vtriusque reipublicae Grauissimi, Generosissimi Praenobilissimique Commilitones sua praesentia splendidiorem efficere velint, omni qua decet humanitate rogamus. Lipsiae d. vii. Oct. MDCCLXXVII.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

1731
AMSTERDAM



ULB Halle
005 377 420

3





1777 51.

20

PROCANCELLARIVS

D. FRIDERICVS GOTTLIEB ZOLLER

COD. P. P. O. ECCLES. CATHEDR. MERSEB. CAPITVL.
CVRIAE IN PROVINCIA SVPREM. ASSESSOR, NEC NON
FACVLT. IVRID. SENIOR ET ACADEM.

DECEMVIR

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES

VIRO AMPLISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

HENRICO GOTTHILF NISSEN


HAMBVRGENSI

DIE IX. OCTOBR. MDCCLXXVII

CONFERENDOS

INDICIT

De vsuris rei iudicatae.



P. 1884.

